

Observationes practicæ circa luem veneream, epilepsiam et maniam, tria morborum genera in prædicto nosocomio præ aliis maxime obvia. His accedunt casus varii, qui ulteriorem cicutæ usum internum et externum in morbis curatu difficillimis confirmant / Maximiliani Locher.

Contributors

Locher, Maximilian, active 18th century.

Publication/Creation

Viennæ Austriæ : Typis Joannis Thomæ Trattner, 1762.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jd4hrdgg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



F. 1x

33897/B

18/l

58.F.26

24930

Ramaes.

11-06-77
23/6/10

1885

MAXIMILIANI LOCHER,

MEDICI VIENNENSIS IN NOSOCOMIO AD
S. MARCUM ET IN ORPHANOTROPHIO PHYSICI,

OBSERVATIONES
PRACTICÆ

CIRCA

LUEM VENEREAM,
EPILEPSIAM ET MANIAM,
TRIA MORBORUM GENERA IN PRÆ-
DICTO NOSOCOMIO PRÆ ALIIS
MAXIME OBVIA.

HIS ACCEDUNT
CASUS VARII,
QUI ULTERIOREM CICUTÆ USUM
INTERNUM ET EXTERNUM IN MORBIS CURATU
DIFFICILLIMIS CONFIRMANT.



VIENNÆ AUSTRIÆ,

typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REG.
APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOT.
MDCCLXII.

MAXIMILIAN DOCHER

RECTOR VINCENNES IN MEDICINA AD
A. HANCOCK A. D. 1840

OBSERVATIONES

24930

PRAGMATIC

CIACA

LUMEN VENTRIUM

EPITHELIUM ET MAMMAM

TRIA MORBORUM CINETIA IN PNE

DIETU NOBIS OMNIBUS PNE

PIE ACCIDENTAT

CASUS VARI

QUI CETERIS OMNIBUS CINETIA

TRIA MORBORUM CINETIA IN PNE

DIETU NOBIS OMNIBUS PNE



V I R O
I L L U S T R I S S I M O
G E R A R D O,
L. B. VAN S W I E T E N,
AUGUSTISSIMI IMPERATORIS
ET IMPERATRICIS A CONSILIIS
ARCHIATROR. COMITI, BIBLIOTHECÆ
AUGUSTÆ PRÆFECTO, INCLYT. FACULT. ME-
DIC. VIENN. PRÆSIDI PERPETUO, NEC NON ACA-
DEMIÆ REG. SCIENT., ET CHIR. PARIS., INSTI-
TUT. BONONIENS., ET LITER. INCOG-
NITOR. MEMBRO &c.

*Has Observationes Medicas,
seque totum dat, & consecrat*

MAXIMIL. LOCHER.

VIR O
ILLUSTRISIMO
GERARDO
L.B. SWIETEN
AUGUSTISSIMI IMPERATORIS
ET IMPERATRICIS A CONSILIO
ARCHICAMERARII COMITIS BIBLIOTHECARI
AUGUSTE FRAGMENTO INCLYT. FACULT. MR.
DIC. VIREN. PRÆSIDI FRAGMENTO MR. NON ACA.
DEMBRE REG. ROBERT. ET CHIR. PARIS. INSTIT.
TOT. DONONENS. ET LITTE. INCOG.
NITOR. MEMBR. AC.

Hæc Observationes Medicae
sunt totius hæc B. confectæ

MAXIMIL. LOCHER

VIR ILLUSTRISIME!



*Postquam ab aliquot ab-
hinc annis Nosocomi-
um S. Marci mihi con-
fidere es dignatus, indefessi mei la-
boris, & diligentiae testimonium
jam dudum me exhibere oportuisset,
idque firmiter mecum constitui.*

VIR ILLUSTRISSIME
*Verum quoniam morbi maxime
chronici mihi obvenire solebant, qui
diuturnam, & annosam sæpe sui at-
tentionem requirunt, ut inde vera
experimenta capiantur, Tesseram
gratitudinis meæ hucusque differre
debui.*

*Offero itaque TIBI VIR IL-
LUSTRISSIME omnium primo il-
lud, quod TUUM est, Methodum ni-
mirum luem Veneream absque Saliva-
tione sanandi cum Mercurio sublima-
to corrosivo in spiritu frumenti soluto.*
Hoc

*Hoc Remedium maximam Rei-
publicæ utilitatem adfert, & cum id
omnium primo ex TE didicerim, TI-
BI rursus confecro cum pulcherrimis
observatis, quæ ex quatuor millibus,
òctingentis & octuaginta ægris hau-
rire licuit.*

*Omnes hi TIBI & TUO Remedio
vitam sanitatemque integram debent.*

*Observata dein Practica, quæ
circa varia magna Remedia in Ma-
nia, Epilepsia, aliisque curatu dif-
ficillimis morbis institui Immortali*

X 4

TUO

*TUO Nomini quoque inscribo , ut
meum erga TE studium , veneratio-
nemque publice contester.*

*Tandem me totum TIBI do,
orans demisse , ut iisdem me gratiis
deinceps dignare velis , quibus me
hucusque tam benevole affecisti.*

*Hæc ut rite promerear , omni-
bus meis viribus semper conabor.
Vale. Fave.*

PRÆ.



P R Æ F A T I O

Omnis generis morbi in
meo Nosocomio mihi
obveniunt.

Tria tamen morborum ge-
nera me maxime occupant:
Lues Venerea nempe, Epi-
lepsia, & Mania; & ideo de
his dare Observationes practi-
cas apud me statui.

PRÆFATIO

Adjeci simul plures mor-
borum Historias, quæ pulcher-
rimum cicutæ usum confir-
mant.

Est hoc sane inventum uti-
lissimum quod nostri ævi Hi-
storiæ Medicæ plurimum il-
lustrat.

Hæc sunt, quæ hucusque
sedula observatione collegi &
fidelissimo calamo annotavi.



CA.



CAPUT I.

DE

LUE VENEREA

PER HYDRAGYRUM ABS-
QUE SALIVATIONE SANATA.

Quemadmodum a quam plurimis an-
nis Medici omnes luis curationem
salivatione per mercurium excita-
ta aggredi solebant.

Ita & in Nosocomio ad S. Marcum
mos invaluit lue affectis curam facere me-
diante salivatione quotannis vere & au-
tumno instituta.

Molesta æque ac periculosa hæc ægris
fuit, dum his sub toto salivationis tem-
pore

pore supine decumbere haud licuit; etenim si quidam sui obliti supine jacuerunt, aut plane in tali situ dormire cœperunt, instantanea Metastasi ad Encephalon facta convulsi valedixerunt vicinis decumbentibus, ocyus periere.

Alii ex acri remedii indole, vomitum Hæmoptoën, Dyssenteriam acceperunt haud raro domabilem.

Sæpius accessit ex nimia humorum resolutione periculosum exanthema miliare.

Quidam salivabant nimium tantaque inde mala passi sunt, ut ipsam mortem comminus viderent.

Tale ludebatur ægris periculum, nec minus adstantibus offensa hæc cura evasit.

Horrenda illa intolerabili medicatio ne tantis periculis stipata admotus deliberavi sæpe de alia tutiori methodo, minusve molesta ægris & adstantibus.

Consului igitur tunc Illustrissimum L. B. VAN SWIETEN, ut in omni casu arduo

arduo mihi moris est, Idem pro fueta sua benignitate sequens remedium antivenereum mihi communicavit, quo omnis salivatio funestique inde effectus præcaveantur.

℞. Mercurii sublimati

corrosivi dr. β.

Spiritus vini rectificati

ex frument præp. lib. V.

relinquantur in lagena vitrea

donec sponte solutus fuerit Mercurius,

agitetur bene phiala, & detur ufui.

Postquam Illustrissimo placuit remedium hoc Energicum per me omnium primo in Nosocomio experiri.

Inchoavi illud 1. Maji anni 1754. in ægris centum & viginti octo, qui pro fueta cura vernali subeunda parati jacebant.

Omnes feliciter sanabantur absque salivatione.

Quare

Quare ab eadem die exulavit cura illa vernalis & autumnalis Nosocomii.

Dum abhinc jam omni anni tempore, omni mense, die omni lue venerea affectis quotidie adventantibus cura paratur per spiritum antivenereum.

Ut ita hæc cura ab integris octo annis continuo una & eadem evenerit.

Methodus pariter est adhuc eadem ut erat a principio dum remedium dare incepi.

Prædispositio ad curam haud requiritur, nisi in iis, qui saburram in primis viis gerunt, & hos primo purgare soleo.

Venæ sectionem præmitto ubi plethora excedit, aut ratio morbi, vel symptomatum hanc exposcit.

His pro ratione præmissis procedo ad usum spiritus.

Granum dimidium computatur ad unciam unam spiritus frumenti.

Pon-

Pondus hoc semper obſervo & ob ingentem ægrorum copiam omni octiduo sæpe decem, quindecim, vel viginti libras ſpiritus antivenerei parare neceſſum eſt.

Pro doſi do ægris cochlear unum mane & vesp̄ri, ad ſummum cochlearia duo.

Superbibendo unam alteramve libram decocti calidi ex hordeo, liquiritia, radice althææ parati.

Retinentur ægri poſt aſſumptum remedium in hypocausti calore uſque dum bene ſudarunt.

In victu fruuntur portione Noſocomii media dicta, quæ ex jure, farinaceis tenuioribus, & carne alba paratur; vitatis vino pinguibus & ſalitis, levioris cereviſiæ uſus non interdicitur.

Pro potu ordinario bibunt decoctum ſupra memoratum, in ficcis additur medietas lactis, & multum debent haurire.

Potus enim requiritur copioſus.

Ipfæ

Ipsa cura eo facilius succedit, si interdum commune purgans interponatur.

In iis, qui alvum magis strictam habent, quandoque enema emolliens injicere oportet.

Felices vero illi, qui a remedio bis terve de die purgantur, citissime enim restituantur.

In quibusdam agit per alvum, in aliis per urinam in multis per sudorem, nec non secretiones & excretiones omnes promovet.

Effectus autem eo citius obtinetur, si decoctum emolliens, ut præmonui, largiter superbibatur.

Præcipuum tamen habet hoc remedii genus præ omni alio Mercuriali, quod salivam haud moveat.

Vidi enim in millenis vix unquam salivationem exinde ortam.

Et

Et si aliqua fucceffit, tunc contigit in illis, qui aliud remedium mercuriale prius fumpferunt.

In his illico quiefco ab ufu hujus remedii, pergo folum decoctum emolliens dare in copia, fic fæpe fponte falivatio ceffat.

Si vero diutius inhæret, per Enemata & leniora purgantia fugatur.

Qua compofita rurfus ad fpiritum, ut incepti progredior.

Haud aliud fymptoma occurrit, quod continuatum remedii ufum turbare potens eft.

Verum protrahitur cura tamdiu, quamdiu aliquid de luis venereæ fymptomatibus fupereft.

Plurimi fanantur intra fpatium fex feptimanarum.

Aliqui tamen, maxime tales, in quibus virus Venereum profundas figit radices, vel in partibus mollioribus ulcera creavit profunda, ferpentia, ad fui in-

B

te-

tegerimam restitutionem binis vel tribus mensibus indigent.

Viri citius restituuntur quam fœminæ, utpote in his morbus se tardius manifestans sui medicationem difficiliter admittit.

Accedit, quod terminus menstruationis curam retardare soleat, licet hoc negotium exinde haud turbaretur, simplici tamen fœminarum opinioni parcere oportet, dum sub tempore fluxus menstrui omne remedii genus renuunt.

Hæc est vera methodus, qua Venereis medicinam facio, & en! quis effectus, pateat.

Prout materia acris venerea per contagium attracta ad varias corporis partes deponitur, varia mala, varii morbi Venerei diversis in locis generantur.

In partibus glandulosis ex Gonorrhœa suppressa sæpissime fiunt bubones Venerei, qui per spiritum antivenereum sæpe resolvuntur, si indurati sunt, solo emplastro

stro de galbano vel de ranis cum Mercurio superimposito.

Ubi vero bubones cum inflammatione suppurantur, tunc suppuratio per cataplasmata emollientia, aut unguentum Basilici acceleratur.

Sponte sic sæpe aperiuntur bubones.

Quandoque ubi cutis tenax, cultro aperiri debent.

Sed primo dum pus fluctuare sentitur.

Si enim ab imperitis præmature inciduntur, difficillime ad debitam suppurationem & consolidationem deveniunt.

Bubones proinde suppurati sponte vel arte aperti tractantur, ut reliqua ulcera Venerea.

Quamdiu enim pus bonum, & suppuratio ultronee necessaria est, solo unguento Basilici jubeo deligari hos ægros.

Si vero ulcus immundum, pus parcum, vel ejus loco ferum acre fluit, tunc un-

guentum digestivum, aut Basilicum Ægyptiaco mixtum applicatur.

Callositates porro, quæ præprimis in labiis apparent, caustico demuntur.

Ulcus hac ratione purum, rubicundum, instar vulneris recentis nova carne impletum, sueta aquæ Phagedænicæ deligatione consolidatur.

Ab externis solis ulcera Venerea consolidationem haud recipiunt, quare continuare oportet interne spiritum antivenerum mane & vesperi, usque dum ulcera integre clausa sunt.

Tentavi ad ulcera spiritum antivenerum externe, & obtinui eundem effectum, ut ex aqua Phagedænica, quæ remedium confirmile est.

Hinc Spiritus frumenti simul optimum Vulnerarium antivenereum fit, si cum dupla portione saturati decocti lignorum externe adhibeatur, ita Magnif. Störck in anno Medico secundo p. 223.

Lon-

Longe aliter cura aggredienda in iis, ubi ulcera gangrænoſa jam facta ſunt.

Sic quandoque deveniunt plures ad meum Noſocomium, qui ex Gonorrhœa maligna, Phymoſi, Paraphymoſi ſubſequa, Ulcuſculis penis cancroſis, penem gangrænoſum accipiunt cum ſummo periculo deperditionis membri integri.

In his præmiſſa venæ ſectiōe & ſcarificatione partis ſphacelatae mox larga manu procedo ad uſum Corticis Peruviani, ita, ut æger inter Nychthemeri ſpatium binas uncias corticis in ſubſtantia abſolvat.

Taliter ſalvantur omnes, & plurimi potentia ſua adhuc gaudent virili.

Pus enim ſubſequitur, & mortuum ſeparatur a vivo.

Suppuratio promovetur per unguentum digeſtivum.

Separato itaque gangrænoſo exhibeo ſpiritum antivenereum, ut acre venereum, quod ſupereſt, integre dometur.

Tophi, qui in variis ossibus deprehenduntur, sæpe pulcherrime resoluti disparent per usum spiritus antivenerei solo emplastro de ranis cum Mercurio super imposito.

Attamen quandoque tophi exulcerati pessimi moris se curæ offerunt, tibiæ occupantur, cranium tam profunde roditur, ut pulsationes duræ meningis non raro visibiles sint.

Dato remedio exfoliatione facta, corrupta cadunt ossa, ulcera consolidantur, non alio juncto auxilio, quam ut supra de ulceribus memoravi.

In plurimis exulcerantur fauces; palatum, velum pendulum palatinum, uvula, columnæ erosæ, fissæ, laceratæ undique conspiciuntur, crusta densissima lardacea adhærente.

Assumpto spiritu crustæ separantur, ulcera depurantur, fissuræ veli penduli jungun-

guntur , uvula sæpe naturalem induit formam.

Sedulo autem injicere necessum est decoctum pro Gargarismate cum melle rosaceo & spiritu salis.

In quibus palatum ex integro perforatum jam fuit , sæpe remanet loquelæ & deglutitionis difficultas perpetua.

Alii in naribus Ozæna foedissima afficiuntur ; in his præter spiritum do aquam Errhinam sæpius per nares attrahendam ex aqua Major. Mell. chelid. Oleo Amyli , & Tinctura Aloes paratam.

Sic optima fit mundificatio , dum quandoque caries adest , ossicula cariosa separantur , & emunguntur.

In ophtalmiis Venereis aliisque oculorum vitiis pertinacissimis fere semper optatum effectum præstitit spiritus antivenereus.

Hac tamen ratione , ut præter continuatum spiritus usum inflammationi semper prospiciatur per venæ sectiones revulsi-

vas, epispastica, Vesicantia furis & nu-
chæ applicata.

Setaceum sæpe instantaneum facit ef-
fectum.

Interne simul emulsiones cum Nitro,
& decocta diluentia exhibeo, ut stasis in-
flammatoria resolvatur.

Si enim inflammatio non demitur, ocu-
lus suppuratur, visus perditur, & totum
Organum.

Collyrium ex aqua Rosarum, Nitro,
camphora & croco, ut & emulsum cam-
phoratum in ophtalmiis summe profuit.

Alia oculorum vitia ut albugo, pannus,
corneæ opacitas, cataracta ipsa per spiri-
tum subinde disparent.

In his applico externe aquam ophtal-
micam cum sapone, vel immitto parum
mellis rosacei, aut ubi Opacitas major,
Mercurius dulcis cum sacharo bis de die
inspergitur.

Alia

Alia sunt adhuc mala Venerea ficos ac condylomata puto.

Si situs loci admittit, abscinduntur vel caustico tanguntur, eo usque donec exsiccentur & decidant.

Nec reviviscunt, si miasma Venereum per usum spiritus extinguitur.

In Phymosi, Paraphymosi, ut & testiculis Venereis, quoniam inflammatio sæpe magna jungitur, oportet prius per venæ sectionem, attemperantia, diluentia, emulsiva febrim componere, dein ad curam procedendum.

Fomenta, Cataplasmata emollientia hic continuo requiruntur.

Idem observandum in Gonorrhœa maligna, ubi pus acre corruptum stillat, urethra & carunculæ inflammantur, exulcerantur, urina stranguriosa excernitur, membrum rubet, dolet, pulsus & fitis febrem indicant.

Mitigatis primo his symptomatibus do-
spiritum antivenereum.

Si in ullo morborum Venereorum ge-
nere potus copiosus requiritur, tunc certe
in Gonorrhœa, ut acre illud urethræ in-
hærens diluatur & abluatur.

Unde tales tum post assumptum spiri-
tum, tum interdiu commune pro cura de-
coctum ex hordeo, liquiritia, radice Al-
theæ paratum largiter haurire debent.

Etenim hicce potus his in circumstan-
tiis optime convenit.

Carunculæ urethræ partim per inje-
ctiones in urethram ex emollientibus, de-
purantibus, partim per candelas ceraceas
Oleo inunctas & urethræ immixtas de-
muntur.

Candelæ seu Turundæ, ad varia ure-
thræ mala diversæ a nostris chirurgis pul-
cherrime præparantur.

Harum aliæ vias aperiunt, aliæ par-
tes vias impediens ut excrescentias, ci-
ca-

catrices ex ulcusculis prægressis natas, consumunt, ipsam urethram concretam aperiunt.

Cavendum tamen, ne sanæ partes lædantur.

Hicce Gonorrhœa maligna quandoque optime cedit.

Gonorrhœa benigna æque frequens occurrit, ex urethra stillat pus melioris tamen qualitatis, & in pauca copia.

Cura in hac specie sæpe facilis communi modo finitur.

Dato nimirum spiritu interpositis purgantibus.

Attamen in quibusdam post Gonorrhœam malignam vel benignam haud raro tanta remanet in his partibus atonia, ut cura integra finita abs omni alio symptomate perpetuo adhuc fluorem materiæ optimæ tamen qualitatis patiantur.

In his ut & fluore sceminarum albo sæpe maximam habui difficultatem & quem-
ad

admodum ex laxitate sola vidi provenire, a folis Roborantibus medelam quæsi.

Cortex Peruvianus in forma pulveris vel decocti datus multum profuit.

Rheum leviter tostum cum absorbente quodam ad dr. β . quotidie datum subinde idem præstitit.

Interdum citius juvat Essentia Pimpinellæ dum mane & vesperi cochlear unum in vehiculo aquoso vel in decocto propinetur.

Balneum roborans, si accedit, curam citissime finit.

Scabie Venerea sæpe defœdantur ægri.

Universa cutis, quam maxime facies cum pustulis & ulcusculis escharosis elevatis supersedente flavissimi puris irregularis figuræ tumida quasi apparet.

Quandoque superficie latiore varia occupat corporis spatia instar lepræ.

Hiscæ scabies Venerea a reliquis omnibus internoscitur.

Pro-

Proprius character haud ita calamo depingi potest, quam ut ex frequenti aspectu addiscitur.

Dato spiritu antivenereo ulcuscula cutanea resanantur, crustæ separantur, cadunt, maculæ delentur.

Cui ultimo Balneum, quo meum Nosocomium præ aliis gaudet ita, ut ægri ambulare possint, jungitur, sic optime cutis depuratur.

Nosocomium perperam sæpe obruitur luridissimæ fortis hominibus scabie foeda humida affectis, ita, ut numerus ægrorum sæpe exsuperet numerum lectorum, in quibus locari possunt.

Pro his expediendis Illustriss. Præses hoc unguentum Mercuriale ad scabiem Nosocomio meo tradidit.

R. Mercurii vivi Unc ij

Aquæ font. Unc iij

Bulliant simul in vase fictili vitreato ad
ficcitatem fere usque, tunc incipit
squa-

squamescere materia , & fumos rubros
emittere , a quibus cavendum ; sensim
adde

Sevi porcini L. iij

postquam bene mista sunt , effunde
in lapidem marmoreum , & serva
in usum.

Unguentum hoc affricatur cuti , hac
tamen cautela habita , ut tales sæpius
purgentur , & pars una post alteram sen-
sim ungatur , ne saliva moveatur.

Unguntur ita scabiosi , five Venerei sint,
five non

Scabiosi Venerei penes sumunt spiri-
tum , & quod notandum , habita cautela
præmemorata spiritum antivenereum , &
unctionem hanc ferunt absque salivatione
subsequa.

Scabie vero benigna ficca affecti faci-
le sanantur præmisso purgante cum decoc-
to purificante & pulvere mane ac vesperi
sumpto

sumpto ex dr. β . ocul. cancr. & aliquot granis florum sulphuris.

Arthritide Venerea multi torquentur, dolores osteocopi ut plurimum nocturnis temporibus furunt.

Plerique sensum doloris exprimere volentes, fatentur talem esse ac si bina ossa exsucca validissime ad invicem premerentur, ut perfringi possent.

Assumpto spiritu antivenereo, in quibusdam sub initium videntur augeri dolores, continuato tamen ejusdem usu non paucis fit anodynum.

Rigescientibus proin articulis mobilitas Balneo Nosocomii obtinetur.

Qui deinceps præprimis vero milites, si majori robore indigent, vel ad ulcera firmanda Balneo roborante opus habent, ad Balneum Baadense mittuntur.

Ex infecta integra sanguinis massa sæpe plures tales morbi venerei in uno ægro conveniunt, ut id lues confirmat.

Hi

Hi ejusdem remedii continuato usu æque feliciter sanantur.

Confervantur sani, quamdiu non in pristinum fontem incidunt.

Unicus sæpe impurus coitus noviter lui debet.

Ab hoc remedio non tantum Venerei, verum & alii morbi chronici curantur, etsi ab alia longe causa originem traxerint.

Nullus ex vi remedii mortuus, vel gravius & periculofum symptomata expertus est.

Verum ut efficacissimum, & minime noxium profuit in plurimis.

Gravidæ ipsæ vel insciæ graviditatis suæ vel eam celantes sine minima noxa per mensem & diutius sumpserunt spiritum.

Constat itaque ex recensitis quam feliciter lues & varia ejus symptomata sublata fuerint, & hodie adhuc tollantur.

Supervacaneum foret effectum hujus Remedii antivenerei ultronee deprædicare,

re, dum Magnus de *Haen* & Magnus *Störck* Viri bini in arte peritissimi in Annis suis eruditissimis hoc Remedium jam ut incomparabile, jam ut præstantissimum in omnibus morbis venereis prædicent atque commendent.

Ob eximias virtutes suas paratum quoque gratis prostat in Nosocomio inter Remedia ad usum pauperum sub nomine liquoris antivenerei.

Quod curæ felices fuerint, multum quoque debeo sedulitati mei chirurgi *Antonii Rechtberger*, qui externa Remedia secundum omnem indicationem optime applicuit.

Supereft jam, ut numerum eorum recenseam, qui in Nosocomio meo ad *S. Marcum* a lue venerea per spiritum antivenereum feliciter sanati sunt.

Annuus Protocolli extractus sequentem calculum formavit.

a 1. Maji incipiendo

Anno 1754.	-	-	-	-	413.
1755.	-	-	-	-	670.
1757.	-	-	-	-	653.
1756	-	-	-	-	687.
1758.	-	-	-	-	732.
1759.	-	-	-	-	711.
1790.	-	-	-	-	546.
1791.	-	-	-	-	468.

4880.

Incurabilis ab usu spiritus permanfit nullus, nisi qui jam ut tales curam avide appetierunt, & subiverunt.

Gaudeo tamen quod aliqui ex his qui incurabiles videbantur post diuturnum remedii usum curati tandem & sanati fuerint.

Dan-

Dantur Idiosyncrasiae præprimis in
fœminis, quæ spiritum non ferunt, aliquæ
nimium sensibiles spasmodicis prehendebantur.

In similibus Mercurium dulcem vel
aliud præparatum Mercuriale substitui.

Ubi vero nullum remedium Mercuria-
le locum habuit, ibi laudatus ab Autho-
ribus decocti lignorum, Guiacei & Bar-
danæ usus in desperatissimis morbis vene-
reis profuit.

Hæc sunt quæ Authori remedii tam
eximii reddenda habui, ut inde pateat,
quam tuta jucunda & omnis periculi ex-
pers sic paretur curatio.

Magnus *Boerhaavius* in tractatu suo
speciali de lue Aphrodisiaca fatetur, ultra
triginta & sex annos se versatum fuisse in
hoc morbo curando, ut disceret penitus
indolem Heteracliti hujus mali.

Ego interim spero observata mea de lue
Venerea habita pro hoc tempore sufficere,
eo magis dum in quinto Tomo Commen-

tariorum Illustrissimi Præsidis, ubi morbus Venereus pertractatur, ea, quæ hic deficiunt, litterato orbi patebunt.

CAPUT II.

DE

EPILEPSIA.

Civitas Viennensis jam dudum prospexit acerbo huic morborum generi.

Exstruxit enim in Nosocomio ad S. Marcum ædificium, paravit apta cubilia, in quibus miserrimi istius fortis homines separati quoad sexum locari, sustentari solent.

Omnes pauperes, etiam ii, qui in plateis publicis epileptice cadunt, deducuntur illuc.

Laudabili Superiorum jussu hoc fieri suevit, quoniam haud reperiatur morbus
alius

alius qui ex solo aspectu horrifico a fanis attrahi possit quam Epilepsia.

Dixi aspectu horrifico, quia solus intuitus hominis epileptici convulsi non habet illam vim in homine sano procreandi eundem morbum, secus omnes Epileptici fierent qui talem viderent vel ad eum juvandum succurrerent.

Verum horrificus terror, si subito accedit, maxime in sensibilibus, & ubi prædispositio quædam instar causæ remotæ in corpore latitat, consimilem morbum creare potens est, habui non paucos in Nosocomio & adhuc habeo, qui comitialem suum morbum huc derivare sciunt.

Hac quoque de causa quivis Paterfamilias, qui infelicem similem prolem vel domesticum habet, tradit eum meo Nosocomio sæpe ad dies vitæ, quam maxime ubi res angusta domi est, vel ubi separatio liberorum aut domesticorum fieri non potest.

Taliter increvit sæpe numerus , ut continuo pro Epilepticis solis prostant lecti numero septuaginta quatuor.

Gaudebam jam de campo aperto ad tentamina in diro hoc morbo facienda.

Examinavi omnes, haud raro in uno cubili, tres quatuor & plures simul prosternebantur convulsi cum strepitu non levi.

Nulla musculorum actio noscitur, quam non exhibuere.

Incauti sæpe vulnerati discedebant.

Inquisivi diligenter in singulis originem & causam morbi.

Ast unice dolebam, quod inter tot multos numeraverim, qui hæreditariam, multos qui congenitam paterentur Epilepsiam.

In reliquis ascititium quidem detexi morbum, sed ex terrore subito incusso, vel violentia, lapsu, casu, ictu &c. externe illata, origine certe pessima natum.

Si-

Similis Epilepsia insuper erat chronica, periodica & habitualis jam per decem imo viginti annos, & ultra.

Quidam ex frequentissimis convulsionibus adeo distorta gerebant membra, thoracem ipsum, incurvatum ut inde morbos malæ conformationis acceperint.

Alii exinde obliviosi, fatui, stupidi fiebant.

Nec hæc omnia me deterruissent.

Verum enim vero dum eis remedia exhibui, recusabant ea, & misera sua forte contenti nulli nisi suetæ curæ palliativæ se subicere volebant.

Urgere ultronee nolui hos miseros utpote in quibus ex usu remediorum multum sperare haud licuit.

Hinc exspectare oportuit, usque dum mihi novam Epilepticorum & Epilepticarum fecerim copiam.

Post paucos menses decem obtinui & quinque ex antiquis adhuc suavi modo disposui ad remedia fumenda.

In his collectis quindecim Epilepticis tentavi pulverem Radicis Valerianæ sylvestris.

Dedi omni mane cuilibet dr. β ascendi ad dr. j. dr. $i\beta$ & dr. ij.

Continuavi per medium annum, absolvi libras plurimas.

Videbantur ægri a principio multum alleviari.

Attamen id fere semper observavi in Praxi, si enim Epilepticis remedia mutavi aut novum substitui, levabantur exinde ad stuporem, sed paulo post in pristinum morbum inciderunt.

Ita contigit inter usum Valerianæ post paucas septimanas paroxysmos Epilepticos numero & gradu si non vehementiores tunc patiebantur eosdem.

Por-

Porrexi ad nauseam usque assumentium.

Dolui iterum quod remedii tam deprædicati effectum in meis non invenerim optatum.

Quare jam camphora, jam Cortice Peruviano, jam opio ipso Epilepticis medicinam paravi, prout ratio morbi vel symptomatum unum præ altero remedium magis indicavit.

Nec unquam intermisi respicere causas remotas.

Sic mox a primordio, dum spiritum antivenereum in lue Venerea laborantibus exhibere incepti, habui virum hac lue affectum & epilepticum simul, detexi in cranio tophum insignem adhuc clausum & cute tectum, audax dedi spiritum, convellebatur sæpe inter usum remedii, topho dein exulcerato & aperto cessavit epilepsia, vulnere consolidato a lue & Epilepsia sanatus exivit e Nosocomio.

Alius ante insultum Epilepticum semper persensit spasmus dolorificum ad cubitum dextrum. Posui ad hanc partem Vesicatorium; quamdiu illud fluebat non advertebatur spasmus aut epilepsia: Hoc vix non consolidato rediit idem symptoma & morbus. Reiteravi Vesicatorium, servavi illud apertum per quatuor hebdomadas, dedi interne corticem cum camphora, & ita liberabatur a morbo.

Ubi spasmi a dolore oriebantur, opio composui dolores, his sopitis filuit morbus.

Incredibile est, quantæ efficacæ sit mixtura sequens camphorata in Epilepsia, ut & aliis morbis.

℞. Camphoræ dr. β

Sach. canar.

mucilag. gum. arab. aa dr. j.

his invicem in mort. vitreo tritis.

add. aceti calidi Unc. β

aquæ flor. Samb. Unc. vj

Syr. flor Rhæad. Unc. j.

M.

Ad-

Addidi huic mixturæ quandoque guttas triginta Laudani liquidi *Sydenhami*.

Habui ægrum, qui jam integro triennio atroci epilepsia laboravit, & hunc sola hac mixtura restitui.

Nec non multis aliis summe profuit in pertinacissimis convulsionibus continuis, quæ sæpe per plures dies durabant, his autem simul epispastica aut vesicantia furis applicui.

Interim & hæc mixtura in morbis malignis acutis ingentem usum habuit in meo Nosocomio.

Etenim febris Epidemica maligna Petechialis quæ anno 1757. per Austriam furebat, nec meis ægris pepercit.

Fato transfertur unicus hoc contagio imbutus ad Nosocomium, a quo paulo post plures inficiebantur.

Feci mox possibilem separationem, verum multi periculum subire debuerunt.

Da-

Dato emetico, vena tufa in illis, ubi motus excedebant, hæc enim Epidemia haud facile tulit sanguinis depletionem, descendi ad memoratam mixturam camphorata, omni hora cochlear unum propinando, dedi infusum Contrajervæ, & decoctum febrile largiter bibendum cum spiritu Vitrioli acidulatum, ubi motus deficiebant, posui Vesicantia, taliter omnes evaserunt, excepto unico viro septuagenario, qui succubuit.

Quantus effectus ex hac mixtura fuit in morbis malignis, tantus quoque erat in Epilepsia

Quare jam mixtura Camphorata, jam cortice Peruviano, jam opio impugnavi epilepsiam.

Plurimis eandem reddidi rariorem & minus molestant, interdum eam suppressi, vici, superavi penitus.

Anno 1761. 28. Martii consuluit Illustriss. L. B. VAN SWIETEN, ut
in

in Epilepsia etiam tentarem folia Aurantiorum, remedium quod ad convulsiones noviter innotuit.

Ad quæ experimenta rite capeffenda nullatenus me in alio convulsionum genere detinui, quam in ipsa vera epilepsia.

Laudabilem enim ejusdem effectum in convulsionibus Hyftericis, tremore artuum, chorea S. Viti, & in ceteris nervorum morbis alii viri doctissimi tam in Nosocomiis quam in praxi sua demonstrare conantur.

Hinc quia circa solam Epilepsiam verfor in experiendo hoc remedio, de nullo alio ægro casum adducam, nisi de tali, qui vere gravi hoc morbo laboravit.

Ne autem opusculi limites transgrediar, originem, causam, annum ætatis, tempus morbi ubique tantum breviter attingam, omissis reliquis symptomatibus, quæ hunc morbum concomitari solent, & Medicis aliunde nota sunt.

Effe-

Effectum remedii vel mutationem exinde subsequam fido & sincero calamo adducam, quemadmodum calculus diurnus, quem paravi & Illustrissimo Præsidi per plures menses communicavi, me docuit.

Neque illos præteribo, in quibus parum, vel nihil profeci.

Observata enim scribo Lectori Benevolo, quæ sive prospera sint, sive minus felicia, erunt semper candida & vera.

Antequam Epilepticis hoc remedium exhibeam, præmisi infusum commune purgans in omnibus, nec non interdum id repeto.

In plerisque venam secui in pede ut revulsio fieret a partibus supernis.

Idque tum prophylactico, tum curativo methodo feci maximo cum epilepticorum levamine, præsertim ubi temperamentum, morbi ratio simile quid postulavit.

His

His præmissis dedi pulveris foliorum Aurantium dr β pro dosi mane & vespri.

In quibusdam substitui decoctum sequens.

℞. Fol. Aurant. Manip. j.
Consciss. coq. in Lib. j aquæ font.
ad mediet. consumpt.

Colat. exhibeatur pro unica
dosi mane sumenda.

Vespri tunc nihil datur.

Attamen cum ex pulvere eandem mutationem invenerim, quam ex decocto, plerisque pulverem exhibui ut videre est.

In plerisque mox remedium incepti, in reliquis prout venerunt ad Nosocomium.

Christianus T. Juvenis 15. annorum ante septem annos ex improvise incidit in rivum profundum & frigidum, inde multum terrefactus ilico prehendebatur

Epi-

Epilepsiæ paroxysmo , & ab eo tempore fere quotidie atroci hoc malo per plures horas torquebatur.

Sub initium mensis Aprilis ann. 1761. coëpi huic exhibere pulverem fol. Aurant. toto hoc mense ut & subsequis mensibus tantum ter, quater, vel quinquies convellebatur; Mense Decembri nunquam, & Mense Januario anno 1762. tantum levem paroxysmi admonitionem sensit.

Paulus T. puer 13. ann. a quinquennio Epilepticus ex terrore ipsi profunde dormienti incusso.

Per plures menses huic exhibeo pulv. fol. Aurant. nullum autem inde effectum habeo, nisi quod paroxysmi fiat paulo mitiores.

Georgius F. Homo 24. ann. ante decennium ex verberibus & ictibus capiti fortiter inflictis incidit in Epilepsiam, quæ intra biduum vigesies repetiit, & frequentif.

tiffimis paroxysmis per subsequos annos eum ferme indies afflixit.

Dedi pulv. fol. Aurant. per tres menses; verum nec minimam mutationem in hoc Epileptico adverti.

Quare destiti ab ulteriori usu eo magis dum violentia externe illata immedicabile solidorum vitium creasse videbatur.

Antonius W. puer 15. ann., per sexennium Epilepticus a terrore ex lapsu fortuito, convellebatur abhinc omni hebdomade bis vel ter.

Propter vermium suspicionem dedi pulverem anthelminticum cum assa foetida, purgabatur frequenter & excrevit vermes ascarides, continuavi hoc pulvere, usque dum excretio verminosa cessavit.

Verum Epilepsiæ paroxysmi non minuebantur.

Die 15. Aprilis dedi pulv. fol. Aurant. 21. Aprilis & 16. Maji convellebatur.

D

Nunc

Nunc jam in decimum mensem a morbo Epileptico penitus liber est, & sanus in Nosocomio vivit.

Per ultimos binos menses tantum omni septimana ter sumpsit unum pulverem, nunc ab ejus usu abstinet.

Leopoldus G. 17. ann., videns Epilepticum hoc die graviter corripitur eodem morbo.

Indies dein fortiter convellitur, fertur mox ad meum Nosocomium.

Sumpto pulv. fol. Aurant. per octodecim dies ab omni paroxysmo liber fuit.

Rediens dein paroxysmus erat longe mitior.

Continuavi remedium per binos menses, nec ullum amplius Epilepsiæ signum advertebatur.

Hinc sanum dimisi eum admonitum tamen, ut, si minimum insultum persenserit, ad Nosocomium redeat; verum
nec

nec amplius rediit, & audivi eum optime valere.

Josephus K. 18. ann., per integrum annum Epilepsiam ferme quotidie passus venit ad Nosocomium 9. Maji anno 1761.

Dedi pulv. fol. Aurant. mox sistebantur convulsiones, & continuato eodem remedio toto bimestri spatio non amplius redierunt, bene se habuit; hinc Nosocomio valedixit.

Dum per aliquot septimanas extra Nosocomium sanus fuit, vino se inebriavit, & tunc novas iterum convulsiones expertus est.

Denuo ferebatur ad Nosocomium ubi eodem remedio eum brevi iterum quidem restitui, si vero se sæpius inebriaverit, absque dubio in pristinum morbum incidet.

Joannes M. 22 ann., a terrore Epilepticus convellitur omni octiduo.

Incepit remedium ad finem Augusti ann. 1761. a quo tempore adeo levatur, ut jam binas ternasve septimanas habeat a morbo liberas, & paroxysmi si redeunt, sunt semper mitiores.

Jam nunc per sex septimanas non convellebatur, & omnes actiones bonæ sunt.

Jacobus G. a plurimis jam annis Epilepticus ob nimis frequentes & validos paroxysmos vera Mania corripiebatur.

Per quatuor jam menses utitur pulv. fol. Aurant. abhinc convulsiones adeo intermittunt, ut jam binos menses a morbo habuerit liberos.

Quoad Maniam vero huc usque nullam inveni mutationem.

Petrus F. 18. ann. a terrore ultra annum Epilepticus; paroxysmos vero patitur valde raros, omni mense tantum semel convellitur.

Qua-

Quadrimestri spatio assumit pulv. fol. Aurant. nondum autem magnum inde observavi levamen.

Anna H. 23. ann., per quinquennium Epileptica, causam morbi ignorat.

Verum uti asserit, sponte morbus eam invasit, neque in affinitate sua similem detexi morbum.

Solet convelli omni decima circiter die.

A pulvere fol. Aurant. quem per plures menses exhibui, nullum vidi in hac ægra effectum.

Dedi igitur saturatum eorundem foliorum decoctum, neque inde mutatur morbus.

Magdalena W. 24. ann., ante triennium citra causam cognitam corripitur Epilepsia, quæ omni octiduo vel decimo quarto die repetiit.

Per tres menses nihil ex hoc remedio mutatum vidi.

Quarto autem mense ultra tres septimanas filuit paroxysmus Epilepticus.

Dein bis omni sexta septimana rediit.

Deditunc folia Aurantiorum in decocto, inde ægra per tres menses ab omni paroxysmo libera fuit, & lætabatur de sanitate.

Verum subito morbus iterum rediit cum magna violentia.

Continuat idem fumere remedium & jam per octo septimanas rursus bene valet.

Anna L. 26. anno, a terrore Epileptica, in secundum annum, omni octiduo graviter ab hoc morbo correpta fuit.

Ab usu pulv. fol. Aurant. dein decocti jam adeo levatur, ut sex, septem hebdomadas a morbo quoque liberas numerare possit.

Eva W. 30. ann., sana semper & vegeta a quinque retro annis tempore fluxus

xus menstrui perperam accepit emeticum, & secuit simul venam, super quæ animo deliquebat & Epilepsia corripiebatur atrocissima.

Ante binos annos deferebatur ad meum Nosocomium.

Per remedia uterina diu adhibita revocavi menstrua, quæ per tot annos suppressa erant, his promotis multum speravi; verum Epilepsia furebat ut antea, quam nec variis aliis etiam heroicis remediis, nec ipso hoc novo specifico per medium annum adhibito mitigare aut compescere potui.

Hinc in hac ægra nullum effectum expertus sum.

Theresia M. puella 12. anno, a bienio Epileptica ita, ut abhinc omni ferme octiduo Epilepsia correpta fuerit.

Mense Junio anno 1761. devenit ad me; dedi ipsi pulv. fol. Aurant. binos adhuc passa est insultus Epilepticos.

A 20. Julii nullum nec minimum insultum habuit Epilepticum, & hucusque sana est.

Tandem multum profuit hoc remedium in ipsa Epilepsia chronica habituali ubi paroxyfmi diu noctuque sæpe inhærebant, spasmos enim composuit, hinc levavit miseros.

Ex quibus allegatis eruendum: folia Aurantiorum jam pulverisata, jam decocta etiam in gravi morbo Epileptico mirifice prodesse.

Tantæ enim fuerunt efficaciae, ut Epilepsiam in plurimis refrænaverint, filere fecerint longe ultra suetum terminum, in quibusdam vicerint penitus.

Ex nullo hucusque cognito remedio, quod tentavi effectum adeo constantem reperi, ac ex usu foliorum Aurantiorum.

Nollem tamen ideo hæc folia pro universali specifico antiepileptico deprædicare & extollere.

Suf-

Sufficit, quod quandoque profuerit & juverit hoc remedium in ipso morbo Epileptico.

Antequam enim quid certi statuatur, requiritur ulterior experientia sedula, quam in meo Nosocomio pro viribus prosequar ad detegenda fors majora.

Si proin alii Medici celeberrimi in suis ægris similia experti fuerint, & Auctoritate sua fulcierint, tunc saluberrima nostra medicina denuo habebit quo gloriatur invento pulcherrimo remedio contra Epilepsiam specifico.

C A P U T III.

DE

M A N I A.

Magna quoque habetur cura circa Maniacos in Nosocomio ad S. Marcum.

D 5

Vi-

Viginti quinque Ergastula in uno ambitu existunt, in quibus singulatim includuntur; in foro anteriori sunt sex alia, & reliqui, qui in his locari non possunt, in aliis cameris clausis degunt, ita, ut stultorum plena sint omnia.

Prouti delirium a Medicis distingui solet in delirium cum furore, ut Maniacum, & in delirium cum mœrore, ut Melancholicum; hinc jam rabidos clamantes, furentes, illinc tristes Melancholicos, taciturnos conspiciere est.

Hæc bina deliriorum genera iterum talem habent affinitatem, ut non raro Mania in Melancholiam & vicissim transeat.

Horrendum quidem est, Epilepticum intueri, dum a convulsionibus torquetur; verumtamen commiserationem longe majorem merentur illi, qui sana ratione privati vivunt, utpote in quibus humanitas desinit; quia cessavit id, quod hominem
a bru-

a bruto distinguit, actio nimirum animæ rationalis.

Functiones dein reliquas brutorum instar exercent, quidam dilacerant sibi vestimenta, projiciunt ea abs se, fiunt impudici se penitus denudando, spurcities exercent sæpe maximas, dum propria excrementa vorant, & plura alia absurda committunt.

Rabies & furor in quibusdam adeo insurgit, ut eos fortissimis ligamentis affigere necessum sit, robur enim sæpe indomabile tales possident.

Jam Maniacis, jam Melancholicis cum materie ita medicinam paravi.

Ubi indicationem non inveni, cavebam ab Emeticis, utpote hic fortissima requiruntur, quæ per nifus & vomitus subsequos sanguinis motum versus cerebrum augent.

Antiphlogistica porro substitui purgantia, eaque reiteravi sæpius magno cum ægro-

ægrorum levamine , dum hisce similia ad-
derem , quæ oppositam acrimoniæ cog-
nitiæ vim possederunt.

In quibus Plethora , ætas florida , ro-
bur , suetæ excretiones sanguinis suppres-
sæ , prægressa vivendi ratio , pulsus ipse
depletionem indicant , largas & repetitas
jubeo celebrari venæ sectiones.

Sectio venæ jugularis mihi maxime in
usu est , tusa simul vena in pede.

Dolendum certe , quod usus sectionis
venæ jugularis quasi exoleverit , quam non
solum in Mania efficacem scimus , verum
& in Apoplexia , morbisque capitis Me-
dici omnes præposuerunt.

Fateor , quod multos habuerim Ma-
niacos , qui non prius redierunt ad se ,
quam dum per iteratas sanguinis extra-
ctiones , & Vesicatoria applicata quasi de-
bilitati fuerunt.

Non tamen contendo , hanc metho-
dum in omni Mania esse adhibendam , ma-

xime vero est evitanda in illa Maniæ specie de qua celeberrimus *Sydenham* mentionem facit, quæ ex inertia & defectu humorum, vel post morbum chronicum ex debilitate subsequitur, in qua sola reficientia, Cardiaca & nutrientia integram curam absolvunt.

Sermo enim meus est de frequentiori illa Mania & Melancholia, quæ a præmemoratis causis oritur.

In qua Vesicatoria maxime proficua fuerunt, quæ partim revellendo humores, partim irritando excitaverunt plures a fixo & profundo suo delirio.

Ne & his fluidum deficiat, copiose bibere debent; serum lactis, decocta diluentia, demulcentia, blanda; ut simul degenerans cacochymica humorum qualitas emendetur.

Accipiunt insuper omni vesperi emulsa papaverina, Nitrosa, Diacodiata, in
larga

larga copia, maxime tales, qui noctes agunt infomnes & continuo infaniunt.

Si hisce morbus non cedat, summa opeditendum in curationem; secus chronica oritur mali indoles, & incurabilis, quæ sæpe ad mortem usque perdurat.

Quidam grave senium attingunt, & licet interdum lucida obtineant intervalla, hæc tamen brevi cessant, & per circuitus jam Melancholici tristes & profunde cogitabundi sunt, jam dein ut Maniaci infaniunt, uti dixi per dies vitæ.

In similibus magna jam oportet adhibere remedia, inter quæ ab aliquot jam annis Moschum experiri conabar.

Feci, ut haberemus Moschum optimum, odoris penetrantissimi.

Dedi illud quotidie sex Maniacis, cui-libet ad grana XV, scrupulum unum, in forma boli cum syrupo granorum Kermes.

Jussi eos desuper bene tegi, ut sudarent per unam alteramve horam, in quibus

busdam inveni magnam mutationem, & qui furebant antea, fiebant pacati.

Continuavi per tres menses.

Attamen ex his nisi unicus in summo gradu Maniacus penitus ad se rediit, & sunt jam septem anni absoluti, quod sana ratione semper fruatur; video ipsum mihi sæpius obvium, nihil insoliti in eo reperio.

Odor vero ille fragrantissimus, a quo integer Nosocomii tractus inficiebatur, varias mihi causavit difficultates, ut consultum invenerim Moscho aliud energicum remedium substituere.

Placuit mihi iterum mixtura camphorata, quam descripsi in præcedenti capite, & cujus efficaciam in Epilepsia, in febre maligna ibidem adduxi.

Eandem quoque mixturam Maniacis ac Melancholicis cochleatim interdum sæpius exhibui.

Præmissis tamen præmittendis; habita semper ratione ad materiem, ad reliqua, quæ

quæ præmonui de venæ sectione & Veficatoriis.

Valde felix fui hac mixtura, & annuatim non paucos restitui stultos, ita, ut hæc mixtura fuerit maxime usitata.

Ante biennium simul & semel plures Maniaci obruebant ergastula Nosocomii, ad quos citius expediendos septem selegi, quibus camphoram in substantia pineis subactam mane & vesperi dedi ad dr. β .

Sumpserunt quotidie hanc camphoræ dosim per binos menses.

Verum obstupui dum ex his septem unicum tantum Maniacum ad se rediisse viderim.

Dedi dein reliquis sex mixturam camphorata more iueto, & post paucas septimanas quatuor ex his perdiderunt stultitiam suam, quod paulo ante in iisdem per bimestre spatium cum camphora pineis subacta obtinere non potui.

Mi.

Mirabar valde effectum adeo diversum inter mixturam camphoratam & ipsam camphoram in substantia, ubi tamen inter bina hæc remedia vix ulla datur differentia.

Causam effectus varii indagavi ultro-
nee, prouti novi Maniaci advenerunt. Jam his mixturam camphoratam, jam illis camphoram pineis subactam propinavi.

Verum effectus constans erat, celerior nimirum & certior ex mixtura camphorata.

Quare concludere licuit, mixturæ camphoratæ quid inesse præter camphoram, quod in maniam specificè magis agat.

In qua præter vehiculum aquosum & syrupum ad gratiam nil detexi, nisi acetum, cui efficaciam illam adscribere potuissem.

Accepi itaque primo acetum commune, dein acetum destillatum, exhibui

E illud

illud cochleatim meis maniacis, & lætus vidi pulchrum ejusdem effectum.

Quidam autem præprimis fæminæ acetum jejuno ventriculo minus ferebant; hinc rem ita disposui.

Horis matutinis omnes, in quibus experimentum institui, debuerunt infusum Saturatum Hyperici circiter ad lib. i. bibere. Hora vero post pastum meridianum dedi ipsis aceti destillati Unc. iß interpolatim tamen, ut circiter omni quadrante horæ cochlear unum sumpserint.

Hac methodo incepti ad initium mensis Maji ann. 1761. & sequentes a delirio suo jam melancholico, jam maniaco feliciter liberavi.

Morbi ratio non admittit horum, ut & Epilepticorum nomina typis integre committere, ne pauperculi hi tandem fanati a simili nota suo tempore detrimentum quoddam patiantur.

Verum pronomen, & literam primam cognominis adnoto, ut Protocollo Nosocomii inserti sunt.

Scripsi tamen in omnibus diem, quo remedium fumere inceperunt, & quo sanæ menti restituti e Nosocomio dimissi sunt, ut simul pateat quamdiu opus fuerit remedio inhærere.

Matthias F incepit fumere acetum destillatum die 16. Junii.

abivit ex Nosocomio 5. Augusti.

Antonius. A. incepit - 1. Junii.

abivit - 2. Augusti.

Josephus. G. incepit - 14. Julii.

abivit - 20. Octobris.

Michael. S. incepit - 18. Augusti.

abivit - 3. Novembris.

Catharina G. incepit - 6. Maji.

abivit - 23. Junii.

Theresia S. incepit - 12. Maji.

abivit - 16. Julii.

<i>Rosina</i> B.	incepit - 14. Julii.
	abivit - 18. Septembris.
<i>Sabina</i> S.	incepit - 12. Augusti.
	abivit - 4. Septembris.
<i>Anna</i> W.	incepit - 20. Octobris.
	abivit - 30. Decembris.

Hi omnes optime valent, ac constanti fana ratione sua fruuntur, viri funguntur pristino suo munere, unus eorum profectus est in patriam & duxit conjugem, foeminæ pleræque sunt in servitiis.

Ab usu remedii mox illud insolitum in oculis, quod maniacis proprium est, disparet, tandem fiunt pacati & sensim redeunt ad se penitus.

Agit maxime per sudorem, & quo plus sudant eo citius levantur, reliquas secretiones & excretiones promovet, maxime in foeminis pellit menstrua, quæ antea parce fluebant, vel suppressa erant.

Nul-

Nullum exinde observabam symptomata, quod usum turbavit.

Continuo tamdiu, usque dum integre restituantur, in quibusdam duo, tresve menses requiruntur, plures citius proficiunt, ut in calculo demonstravi.

Habui in mania extra Nosocomium fabrum lignarium, & cujusdam scrutarii uxorem, ambo post sex hebdomadas eundem obtinuerunt effectum.

Præparavi hos ægros, si ratio indicavit, per venæ sectiones, purgantia; imo & sub usu hujus remedii talia reiteravi, applicui sæpius vesicatoria, dum necessum fuit.

Nollem tamen me Authorem novi hujus remedii ad maniam deprædicare.

Casu, ratione, experientia deveni in illud.

Casu, dum in dubio medico hærerem inter longe diversum effectum mixturæ camphoratae & ipsam camphoram.

Ratione, dum acetum destillatum partim ut remedium antiphlogisticum, summum diaphoreticum & solvens bene consideravi, partim dum illud ex natura sua simul respexi tanquam remedium maxime idoneum ad curandam atram bilem, in cujus curatione magnus *Boerhavius* §. III 7. absolutam sanationem statuit.

Experientia denique edoctus fui ex ipso effectu belle conspicuo.

Habeo tamen in Nosocomio puellam, & duos Maniacos chronicos, in quibus cum aceto destillato nihil profeci; his quidem nec alia quæcunque remedia profuerunt, & fors perpetuo manebunt in sua infania.

Multiplici enim experientia edoctus sum, Maniacos aut Melancholicos, nisi primis temporibus vel intra annum curentur, manere immedicabiles, quæcunque dein remedia heroica ipsis exhibeantur.

Solida enim ipsa afficiuntur, vasa cerebri & meningum fiunt varicosa, unde circulatio tardior, inæqualis, vasis proinde magis ultra Diametrum dilatatis, ruptis, sequitur apoplexia lethalis, mors illa propria quasi melancholicis & maniacis.

Cæterum dixi superius: quod Maniacis soleam exhibere acetum destillatum horis promeridianis, horis vero matutinis jejuno ventriculo infusum Saturatum Hyperici.

Ratio mihi fuit, quia hæc planta a veteribus specificè laudatur in Mania, Melancholia, malo Hypochondriaco, *Angelus Sala* pro arcano habuit tincturam Hyperici, & cum eadem careret, decoxit summitates Hyperici in vino Rhenano aut cerevisia tenui, atque utiliter propinavit.

Hinc licuit mihi adeo deprædicatam Hyperici vim & in meis experiri.

Minime tamen mihi id præstitit, quod acetum destillatum.

Tentavi enim sæpius, dedi uni alterive acetum destillatum absque infuso Hyperici, aliis proin dedi infusum Hyperici absque aceto destillato, obtinui semper ex aceti destillati usu solo optatum effectum, quem solum infusum Hyperici non præstitit, verum oportuit his denuo acetum destillatum propinare.

Quare maximus effectus dependet ab aceto destillato.

Cum porro viderim junctim invicem bene conducere, hinc vim specificam Hyperici fors insensibiliter agere, moris mihi est, pro jentaculo infusum saturatum Hyperici omnibus illis adjungere, qui aceto destillato utuntur.

Hæc sunt, quæ de aceti destillati efficacia in delirio Melancholico & Maniaco monere volui, adnotavi plures, qui ex usu ejusdem stultitiam suam perdiderunt, & adhuc incolumi fruuntur ratiocinio.

Atta-

Attamen nec hæc mihi sufficiunt, ut acetum destillatum pro novo specifico proclamem, verum necesse est plura experiri. Neque quid camphoræ exinde derogare volo, quod efficax in mania manet remedium, ut ipsemet demonstravi.

Imo si quis magnum remedium quærat, habebit illud in camphora opio maritata, quod in morbis capitis, nervorum, articulorum, multisque chronicis malis mira sæpe præstitit.

In melancholia sine materie proprie dicta, quæ ab animi pathematibus, ut tristitia, mærore nimio ex casu fortuito, vel ab amore originem habet, bonus politicus plus efficiet, quam peritissimus medicus; licet & hæc, si diutius inhæreat, in melancholiam cum materie abire possit, & tunc, ut talis tractanda.

Sunt quidam Authores, qui in Mania & Melancholia etiam verberibus locum concedunt, ut magis coerceantur, & per

castigationem ex profunda sua imaginatio-
ne & delirio resuscitentur.

Dum nosocomii Physicum agere in-
cepi, pro more sueto hoc remedium ac-
curatissime ab invigilantibus fuit admini-
stratum & tam strenue percutiebant sæpe
miseros, ut causticis & vesicatoriis opus
non habuerim, quemadmodum tales ho-
mines sæpe deteriores fiunt licentia, &
magis insaniebant, quam stultus in erga-
stulo suo; pro authoritate mea cuncta ver-
bera penitus inhibui.



CAPUT IV.

DE

CASIBUS VARIIS.

QUI ULTERIOREM CICUTÆ USUM
INTERNUM ET EXTERNUM IN MORBIS
CURATU DIFFICILLIMIS CONFIRMANT.

Ultra biennium pulcherrimos cicutæ
effectus in morbis atrocissimis & cu-
ratu difficillimis audiui, legi, vidi.

Quemadmodum me lætum in experimen-
dis remediis pro more detineo, ita & no-
ta pharmaci hujus efficacia permotus con-
stitui id quoque in meis experiri.

Minime respexi venenatam cicutæ in-
dolem, contra quam veteres clamarunt,
ejusque usum internum haud unquam ad-
miserunt; postquam Magnificus Archia-
ter *Antonius Störck* docuit cicutæ succum

ex-

expressum lentissimo igne in extractum inspissatum sic temperare, ut semoto omni periculo eo uti liceat tanquam medicamento cæteris præstantiori.

Disceptatum multum fuit de illa cicutæ specie, quæ ad extractum parandum adhiberi solet.

Verum Celeberrimus remedii Author dedit accuratissimam cicutæ differentiam sibi que usualement esse adnotat ex *Morifono* cicutam majorem vulgarem maculatam foetentem, quam *Linæus* sub nomine Conii feminibus striatis habet, fecitque hanc plantam tam pulchre ære excudi, ut prima fronte facillime dignosci possit.

Volui herbam hanc cicutæ decomponere & analysi chemicæ subicere.

Attamen defectus plantæ recentis impedivit hoc experimentum pro nunc, dum tempore hyberno scribo.

Scimus tamen ex chemia, quod virtutes plantarum quoque obtineri, & diutissime

tissime conservari possint decoctione & inspissatione parando inde extracta; hinc extractum quasi in compendio virtutem plantæ in se retinere, cumque præsertim ab extracto cicutæ vis medicata interna desideretur, conclusi idem extractum quod ægris meis cum magno fructu exhibui, examini chemico subicere.

Rogavi Celeberrimum chemiæ & botaniæ Professore *Robertum Laugier* ut mihi id præstare dignetur, pro sueta sua humanitate lubentissime hunc laborem in se suscepit, meque ad integrum processum humanissime invitavit.

Ad experimentum sumebantur quatuor Unciæ extracti cicutæ.

Has *Clarissimus* Professor commisit retortæ vitreæ in balneo arenæ, igne dein applicato paulo supra gradum aquæ ebullientis prodiit humor vix manifeste falsus, parum coloratus, odoris phlegmatis cornu cervi in prima actione ignis prodeuntis.

Sta-

Statim ac aliquas hujus laticis guttas obtinuit, receptaculum mox disjuxit, & huic parvæ liquidi copię paucas guttas fyrupi violarum admiscuit; mox color in viridem mutabatur.

Receptaculum iterum agglutinavit, & per quatuor circiter horas eundem caloris gradum sustinuit, unde notabilem satis hujus liquidi quantitatem magis ac magis alcalini, citrini coloris, atque odoris perfecte animalis obtinuit.

Hocce separato, ignis ad gradum tertium usque adauctus fuit, & tunc apparuit sal volatile concretum collo retortæ adhærens, & micas tenuissimas salinas splendentes circa internos vasis recipientis parietes efformans.

Hoc sale deposito, nubeculis albis se manifestare incepit Oleum bruni coloris, crassum satis, foetidum & empireumaticum, quod igne suppressionis adhibito totum in excipulum coactum fuit, &
sic

fic per octo horas igne gradatim aucto mobile totum a fixo secernebatur.

Remansit ergo caput mortuum, quod miris suis & gratiosis coloribus caudam pavonis repræsentabat, prædominantetamen atro colore.

Patellæ terreæ commissum fuit hoc residuum atque igne aperto calcinatum per horas duas.

Elutriatione facta, lixivium vere alcalinum obtinuimus; & evaporatione decenter celebrata salem fixum siccum alcalinum vidimus.

Terra desiccata & antea lixiviata erat crassa, flava, lutosa, iners.

Ponderavimus producta pondere civili & eorum proportio sic se habuit.

- | | | |
|---------------------------|---|--------------|
| 1. Spiritus volat. alcal. | • | Unc iß driij |
| 2. Salis volat. alcal | • | gr. xxxv. |
| 3. Olei Empireumatici | • | dr. ij |

Caput mortuum ponderavit

Unc j. dr. ji

4. Salis alcalini fixi. - - - dr. ij.

5. Terræ exsiccatæ - - - dr. iij.

Jactura partium in destillatione, filtra-
tione & calcinatione fuit - - -

Unc. i dr. i gr. xxv.

Ex his concludit Celeberrimus ac Cla-
rissimus Professor 1^{mo}. quod planta ci-
cutæ animalis dici non possit ideo, cum
tantum levem salis alcalini volatilis,
& multo majorem salis alcalini fixi co-
piam suppeditaverit.

2.^{do} quod hæc salia tam fixa quam vo-
latilia per ignem producta fuerint, cum
jam sal alcalinum fixum huc usque in
plantis desideretur, & sal volatile sic
impetratum, si in planta fuisset pro-
genitum, ob magnam suam volatilita-
tem in extracto non mansisset.

” Hinc

- „ 1.^{mo} Hinc judicat in planta cicutæ 1.
„ adesse spiritum quemdam volatilem vi-
„ rosum & plantæ proprium, qui tan-
„ quam Spiritus Rector spectari potest.
„ 2.^{do} Quod ille pro majore parte in au-
„ ras diffletur per inspissationem succi.
„ 3.^{tio} Quod fors ab hoc dependeat stir-
„ pis hujus vis deleteria ab antiquis no-
„ tata.
„ 4.^{to} Plantam hanc tandem magnam
„ conciliare quantitatem falis, cujus na-
„ tura hucusque incognita, partim in
„ sal alcali volatile, partim in fixum,
„ potentia ignis mutari potest.

Hæc sunt verba Clarissimi Professoris.

Data itaque analyfi chemica extra-
cti cicutæ effectum ejusdem in morbis cu-
ratu difficillimis per subsequos casus ad-
ducam, quos tum in Nosocomio, tum
in Orphanotrophio, tum in quibusdam
exteris habui.

Georgius P. gessit per integrum annum in labio oris superiori & inferiori ulcus cancrosum depascens foetidum.

Ulcus hoc ferpebat versus angulum oris dextrum, ut haud amplius alimenta necessaria assumere potens fuerit.

Qua de re e *Gerotrophio Braittenfurten*si deferabatur ad Nosocomium, ætate confectus utpote septuagenarius, viribus exhaustus, habebat insuper scrophulas colli horrendæ molis.

In casu hoc arduo mox descendi ad extractum cicutæ; dedi bis de die pilulas septem, quarum quælibet pondere habuit grana duo, ejusdem ponderis soleo semper dare pilulas de cicuta.

Ascendi sensim ad quindecim mane & vesperi totidem.

Externe sedulo applicatum fuit decoctum cicutæ, & post paucas septimanas tumor labiorum concidit, sanies mutabatur in pus bonum, caro recens succrevit,
&

& post bimestre temporis spatium labia ex integro consolidata naturalem induerunt formam.

Scrophulæ colli multo fuerunt minores, molliores, harum tamen integram curam, quam sperare licuit, non expectavit; sed contentus, quod a misero suo oris affectu liberatus fuerit, rediit quo venit.

Ignatius M. lue venerea pessime affectus post diuturnum spiritus antivenerei usum tandem curabatur a lue; verum ulceranarium, escharæ artuum ulcerosæ nulli remedio externe applicato cedebant.

Quare decocto cicutæ has escharas exulceratas deligari, naribus vero exulceratis per turundam idem sæpius imponi iussi, & ita intra quatuor septimanas continuato tamen spiritu antivenereo solum decoctum cicutæ externe præstitit id, quod aliud quodcunque topicum non effecit.

Josèpho K. ex prægresso abscessu oriebatur ulcus fistulosum ad os sterni; quod per medium annum neglexit; unde ulcus hoc fistulosum profundissimas fecit cavitates circa musculos intercostales, & ad interstitia musculorum abdominalium penes lineam albam.

Ad humerum finistrum habuit insuper tumorem Melliceridem inveteratum instar ovi gallinacei.

Huic dedi pilulas extracti cicutæ sex bis de die, dein dedi undecim, tandem quindecim.

Decoctum cicutæ in sinus & cavitates sæpius injicebatur.

Ad tumorem applicatum fuit emplastrum cicutæ; & ita post binos menses ulcus consolidatum, tumor vero post tres septimanas jam resolutus ex integro disparuit.

Joannes S., ante quadriennium combussit sibi pedem dextrum aqua fervente super eum effusa.

Pes

Pes abhinc exulcerabatur, & ad tibiam ulcus magnum profundum exortum est.

Paulo post ad idem ulcus contundebatur ex globo lusorio fortiter illuc trajecto; unde ulcus noviter inflammabatur, magis exulcerabatur, & non tam pus, quam potius acerrimum ploravit ichorem.

Quibuscunque dein adhibitis remediis permanfit in pristino statu formavitque ulcus cacoethicum in quartum annum nulli remedio cedens.

Præmisso purgante exhibui bis de die pilulas de cicuta septem, dein novem, undecim, quindecim.

Externe solo decocto cicutæ deligabatur; & ita post quatuordecim septimanas ulcus hoc pulcherrime consolidatum fuit.

Quemadmodum omnes, qui cicuta utuntur, interdum repurgare soleo cum bono effectu, ita & hunc ferme omni octiduo communi infuso purgante evacuavi.

Pari modo *Josephus W.* a trienni, & *Cassparus S.* ab annoso ulcere pedis Phagedænico feliciter liberatus est.

Antonio R. ante quadriennium sponte intumuit brachium dextrum.

Tumor hic magis magisque increvit, tandem in glandulis subaxillaribus, ad cubitum, ad ossa carpi, & ad Phalanges digitorum ejusdem brachii oriebantur ulcera foedissima, serpentina, quæ in quartum annum, licet æger multa & varia remedia assumpserit, atque usus fuerit balneo Baadensi, fluxerunt continuo.

Jam ad acrimoniam corrigendam & ulcera hæc sananda dedi extractum cicutæ sensim augendo dosim ad dr β bis de die.

Post mensem claudebatur ulcus subaxillare & cubiti, disparuitque omnis tumor, ulcera vero ad ossa carpi & Phalanges digitorum fluebant ut antea.

Cum viderim fomentum cicutæ externe applicatum non sufficere præter continua-

nuatum internum cicutæ usum, jussi ut æger manum extremam decocto cicutæ calido instar balnei sæpius per horam immitteret.

Antea jam ex his partibus ossea fragmenta fecesserunt, usu autem hujus balnei ortum est pus granulosum minimis quasi officulis refertum.

Hoc modo tumor istarum partium penitus concidit, ulceraque post trimestre temporis spatium integre concreverunt.

Josephus W. & Martinus G. uterque ex arthritide annosa inveterata adeo contracta gerebat membra, ut minime progredi, nec ori cibos admoveere, aliasque functiones necessarias peragere potuerit absque adjumento aliorum.

Postquam optimis antiarthriticis diu continuatis nil profeci, cicutam dedi.

Continuato longiori usu tantum effeci, ut brachiis jam uti pedibusque insistere valeant, flexibilitas vero nondum rediit.

Catharinæ T. medio abhinc anno fauces exulceratæ sunt, hæc ulcera debito remediorum usui brevi cedebant.

Excepto unico ulcusculo, quod se interne per buccam sinistram extendit, ibi arrosit profunde angulum oris & serpsit versus partes exteriores, formavitque ulcus foedum, latum, cancrosum, quod ubique habuit marginem callosum, crassum.

Cum nulla alia remedia profuerint dedi statim viginti quatuor grana extracti cicutæ per diem.

Ad ulcus cancrosum curavi applicari mel Rosarum cum pulvere cicutæ, & ita cancrosum hoc ulcus mundificatum continuato cicutæ usu interno & externo post quatuor circiter septimanas consolidationem integram obtinuit.

Remansit tamen tumor durus circa angulum oris, qui manducationem impedit, hunc frictionibus & ipso Embroche cum decocto cicutæ parato amovere conor.

Magda-

Magdalena G. trienni jam morbo cutaneo Herpetem mentiente laborans venit ad Nosocomium, postquam plura remedia balneaque adhibita eam non juverunt.

Dedi extracti cicutæ bis de die pilulas septem; ascendi tandem ad quatuordecim, balnei loco jussi eam sæpe de die lavari decocto cicutæ.

Statim cutis inflata, tumida cœpit col-
labi, pallere, desquamare, mollior fieri;
& his continuatis scabies illa fœda post bi-
nos menses evanuit.

Hoc modo *Catharina C.* brevi restituta
fuit, quæ serpiginem in thorace ab infan-
tia indomabilem gessit.

Anna Z. pessima Arthritide venerea
affecta nec spiritum antivenereum, nec
aliud remedium mercuriale ferebat, quin
desuper morbus augeretur, febrisque in-
surgeret.

His substitui decoctum Guiacei, Bar-
danæ cum medietate lactis mixtum.

Largiter per quatuor menses sumpfit hoc decoctum sed incassum.

In pertinaci hoc affectu exhibui extracti cicutæ pilulas novem mane, vespere autem emulsum Nitrosum, Diacodiatum.

Pro potu ordinario dedi serum lactis, jamque effeci tantum, ut dolores osteocopi remiserint, tophique ingentes, quorum unus circa genu tumorem lymphaticum formavit, externe applicato fomento cicutæ & aliis discutientibus imminui incipiant & resolvi.

Anna H., Sophia D., Anna G. & R. omnes hæ quatuor fæminæ in ulceribus pedum antiquissimis Phagedænicis ex usu cicutæ interno & externo pulcherrimum experiuntur effectum.

Gangrænoso separato per optimam supurationem; ossiculis cariosis exfoliatis in binis ulcera consolidationem jam obtinuerunt, quæ & in reliquis binis æque imminet.

Fran-

Francisca M. maritata ante quadrien-
nium finito puerperio in mamma dextra
scirrhusa prius facta contraxit cancrum
apertum, quem in tertium annum negle-
xit, & magis noxia quam appropriata
adhibuit remedia.

Quare cancer semper deterior fiebat,
ulcus serpebat undequaque, & jam scirr-
hosas, fungosas excrefcentias, jam ca-
vitates profunde exefas formavit.

In hoc statu præterito anno venit ad
Nosocomium meum, quare jam ad cicu-
tam, jam ad corticem Peruvianum confugi.

Dedi indies dr. ij. extracti corticis
peruviani, dein extracti cicutæ pilulas
quindecim bis de die.

Verum per plures menses cancer man-
fit immutatus, nullum pus aderat, sed ichor
acer rodens.

Unde auxi dosim cicutæ, dedi dr. ij
quotidie, externe decocto cicutæ deliga-
batur sæpius.

Tan-

Tandem ichoris loco pus laudabile successit, fungositates cum pure separabantur, cavitates sensim repletæ sunt.

Dolores, qui sæpe noctes inquietas reddiderunt, opio pacavi.

Hicce ulcus adeo planum & pulchre rubens prospexit, ac si cancer cultro sublatus fuisset; & nil nisi integumenta communia defecerunt, quæ cum difficile succrescant, suspicio est ossium sub cancro fors carie affectorum, quod sæpius contingit, & consolidationem impedit.

Interim misera hæc continuat egregie & quotidie assumit dr ij extracti cicutæ.

Bona est suppuratio, nil fungosi, nil cancrofi propululat, hinc malo positi sunt firmi limites.

Hæc sola ad minimum libras duodecim extracti cicutæ jam consumpsit.

Quare non sat laudare possum vigilantissimum Officinæ Nosocomii civici Proviforem *Adamum Offermanns*, qui ad
men-

mentem Authoris Magnifici optime paratum extractum cicutæ Nosocomio meo etiam in copia requisita suppeditat, licet illud tum Viennæ, tum in dissitissimis Regionibus incredibili pondere desideretur, ut ipsi defecisset tempore hyberno, si non tam sollicitè Nosocomio meo prospexisset.

Dum hæc scribo bini hi casus adhuc mihi in Nosocomio obtigerunt.

Andreae Z. ante decem septimanas scabies Venerea in fronte & toto corpore erupit, quo tempore simul in labio oris inferiori vesicula alba apparuit.

Hæc vesicula tandem mutabatur in ulcus scorbutico-Venereum, impurum, inæquale, cujus margines hinc inde callosi erant.

Ex variis topicis, ut & remediis internis in quodam Nosocomio ipsi diu adhibitis deterior semper reddebatur morbus, quare ad meum Nosocomium mittitur.

Mox

Mox dedi huic ægro quatuor cicutæ pilulas, dein septem bis de die, externe ad ulcus jussi applicari decoctum cicutæ.

Hac methodo tam bonum obtinui effectum, ut ulcus illud scorbutico venereum jam purum, vix non ex integro consolidatum fuerit, atque scabies venerea jam penitus disparuerit, dum tantum per tres septimanas hoc remedio utitur.

Joanni S. ante biennium magnum condyloma in glande penis excrevit; ex usu remediorum externorum illud in ulcus venereum mutatum est, quod ultra annum consolidationem non admisit.

Sumpfit a Chirurgo quodam medicamenta sub quorum usu fauces exulcerabantur.

Undecim abhinc mensibus sponte iterum excrevit ipsi in facie lateris dextri penes alam nasi verruca quædam, quæ ad topica applicata mox exulcerabatur, & ita se dilatavit, ut totam buccam, & labia oris ad medium usque occupaverit.

Cum

Cum tandem per undecim menses nec ex topicis, nec ex variis remediis Mercurialibus interne datis ullum effectum expertus fuerit, Nosocomium S. Marci adiit.

Examinavi illum, ulceraque in pessimo statu inveni.

Ulcus faciei & labiorum erat magnum, impurum, foetidum, inæquale, callosum ichorem plorans ita, ut merito cancer venereus dici potuerit.

In hoc rerum statu cum post tantum tempus varia remedia Mercurialia sine effectum sumpserit, ordinavi extracti cicutæ pilulas septem mane & vesperi, ut & externe fomentum cicutæ, interposito quandoque melle Rosaceo cum pulvere cicutæ; & ita intra viginti dies citissimum & pulcherrimum obtinui effectum, cancer ille venereus in ulcus mundum mutabatur & jam ultra tertiam partem consolidatus est.

Circa

Circa omnes hos ægros summam diligentiam impendit Eruditissimus mei Nosocomii Chirurgus *Antonius Rechtberger*.

His quoque magnam opem tulit sedulus chirurgiæ Assistent *Antonius Hartmann*.

Paginas implerem, si effectum cicutæ in ulceribus tum scorbuticis, tum Vene-
reis, in tumoribus glandularum earum-
que scirrhis obstructionibus adducerem.

Plerosque a cicuta levatos & sanatos vidit sæpius mecum Celeberrimus Chirurgiæ Professor *Ferdinandus Leber*.

Nec tamen diffiteor me in Nosocomio meo habuisse quoque ægros, quibus cicuta parum vel nihil profuit; Verum in his, ut boni Medici est, vel destiti, vel aliud substitui remedium, ubi vero cicuta nil effecit, ibi haud obtinui medelam ex alio remedio.

In Orphanotrophio casus hi mihi ob-
venerunt.

Bartbo-

Bartholomæus M. ultra biennium scrophulosos tumores in collo & aliis glandulosis corporis partibus gessit sine molestia.

Tandem oriebatur tussis continua, respiratio fiebat tam difficilis & laboriosa, ut stertor & sibillus jam a quinquaginta passibus audiri potuerit; nec minimum motum sine metu suffocationis instantaneæ facere ausus fuit.

Sputum excreavit parcum, idque vere purulentum foetidum, in aqua subsidens, quare pauperculum hunc Phthysi scrophulari laborare conclusi ex scrophulis innumeris superficiem corporis obsidentibus.

In morbo hoc vere glanduloso ad cicutam tanquam specificum remedium in morbis glandularum confugi.

Incepi a pilulis tribus mane & vespere, dein dedi quinque, septem, undecim.

Super scrophulas jussi applicari emplastrum cicutæ.

Post tres septimanas liberior facta est respiratio; sputum facilius successit, & ut scrophulæ externæ resolutæ disparuerunt, ita successive respiratio reddebatur facilior.

Dum per binos menses usus fuisset cicuta, jam liberrime respirare, abs omni difficultate currere, motusque violentos peragere potuit.

Quare dum jam decimum quintum ætatis annum attigit, in quo pro more pueri ex Orphanotrophio dimitti solent ad artes addiscendas, puer hic integerrimæ sanitati restitutus dimittebatur ad finem mensis Augusti anni elapsi.

Præpositi, domestici & omnes, qui noverunt, videruntque hunc puerum mirabantur efficaciam remedii.

Modo jam medius annus elapsus est, & puer adhuc optima sanitate gaudet.

Theresia G. quatuor abhinc annis a quodam cane, nescio an rabido, in toto corpore

pore adeo lacerata fuit, ut in summo vitæ periculo versaretur.

Vulnera hæc nulli remedio obediebant; sed fluebant continuo, & puella inde multum emaciata fuit.

Dedi & huic extracti cicutæ pilulas tres de die, dein quinque, septem.

Ad ulcera fistulosa applicatum fuit decoctum cicutæ, & sic plurima ulcuscula antea excavata, bona carne repleta sunt & consolidationem obtinuerunt; habitus corporis fit robustior, viresque indies crescunt.

Elisabetha T. a multis annis viscera infimi ventris habuit obstructa, indurata; unde abdomen semper magis intumuit; ægra tristis, meditabunda, & chlorotica fiebat.

Ad referandas has obstructions inveteratas viscerum & glandularum abdominalium dedi huic puellæ quotidie extracti cicutæ pilulas septem, interposui interdum purgans; & ita post paucas septimanas

abdomen detumuit, molle reddebatur, & illa jam vivax, agilis fuetos peragit labores.

Antonius E. & Josephus M. ambo hi pueri ultra annum spina ventosa affecti in facie, circa oculos, in artubus varios tumores ex exulceratione habuerunt indomabiles.

Per quadrimestre circiter tempus, quo extracto cicutæ quotidie ad grana xiv. utuntur, tumores quidam resolvuntur, alii suppurantur, ex ulceribus ossium fragmenta secedunt, ubi hæc separata fuerunt, ulcus cicatrice obducitur, & spes optima est curationis integræ usu cicutæ interno & externo continuato.

In pueris & puellis junioribus observavi celeriores longe cicutæ effectum, quam in adultis, & parca dosis quotidiana ad pilulas septem sæpe suffecit.

Silentio præterire non possum, qua attentione, sollicitudine ægris in Orphanotrophio

trophio prospectum sit; ut omni morbo epidemico cito frœnum imponatur.

Ampla Infirmaria a toto Hospitali separata existit, hæc iterum e quatuor constat cubilibus, in quibus pueri a puellis, graviter decumbentes a convalescentibus separatim locantur.

Mulierculæ aptissimæ his inserviunt, remedia ordinata accurate administrant, alimenta concessa debite exhibent.

Quemadmodum ægri optime coluntur, ita & Orphani reliqui numero quadringenti quadraginta octo in pietate erga Deum, in addiscendis rudimentis variisque laboribus artificialibus per multas horas indies informantur.

Ordo, mundities in refectorio, in vestimento omnibus æquali, in dormitoriis pulcherrime observatur: nec Mars filet, certis enim diebus pueri per tympanum vocantur ad vexillum suum, debito ordine, requisita celeritate totum exercitium

militare optime peragunt, ita, ut ab omni homine hoc Orphanotrophium videri mereatur,

Circa ægros tandem externos casus tres præcipui mihi obtigerunt.

Cujusdam Monasterii Vir Religiosus triginta abhinc annis febre maligna in vigesimo ætatis suæ anno laboravit, ex qua feliciter quidem evasit, verum vix finito morbo a materia fors illuc posita, proruperunt pustulæ & ulcuscula, quæ nasi alas, totum oris labium superius insigni pruritu, dolore, ardore occupabant.

Medici expertissimi, Chirurghi dexterissimi varia remedia tam interna quam externa adhibuerunt aptissima, summæque in simili affectu efficaciam.

Verum omnia incassum, & zelosus ille Vir per triginta annos molestum hunc affectum ferre debuit, ipsumque multum in officio suo impedivit dum hominum confor-

fortium propter hanc turpitudinem evita-
vit, quantum possibile erat.

Data semel occasione me consuluit, con-
clufi mecum, cicutam fors adhuc parem
esse ad vincendum chronicum hoc malum;
suafi itaque, & dedi omni die grana x
mane & vesperi, dein xiv. xvij tandem
xxvij extracti cicutæ.

In hac dosi permanfi; obsequiosus æger
non solum attente fumpfit cicutam interne,
verum & sollicite externe fomentum ap-
plicuit, interdum repurgavi eum aqua
Angelica, cui assuetus erat.

Die 16^{ta} Junii anni elapsi incepit uti
hoc remedio, ad initium mensis Julii labium
detumuit, pustulæ illæ ulcerosæ exsicca-
bantur, mense Augusti disparuerunt in-
tegre, & cutis tota naturalem induit
formam.

Ad finem mensis Augusti pro more fe-
cabatur ei vena, accessi visurus sangui-
nem, & inveni optimam qualitatem cruo-

ris emissi, dum adhuc in cicutæ usu pergeret.

Aderat in Monasterio Perillustri fanitatis Consiliarius *Vogl* cui hunc cruorem monstravi, quem quoque optimæ qualitatis invenit, laudavit etiam effectum cicutæ in Reverendo hoc Patre, quem antea morbo suo laborantem novit.

Suasi tamen, ut continuaret adhuc pilulas septem quotidie per binos menses, dein cessavit, & liber est ab omni exco-riatione partis affectæ.

Juvenis a biennio glandulas colli ferme omnes & circa aures induratas, & scirrhosas habuit, parentes sui neglexerunt hos tumores, ut quidam instar lapidis indurati fuerint, alii suppurati rumpebantur, multumque puris dederunt.

Ex pure reabsorpto incepit febricitare & lente consumi.

In hoc rerum flatu vocarunt me parentes; dedi extracti cicutæ pilulas septem
bis

de die, in sinus & cavitates curavi injici decoctum cicutæ cum melle Rosarum.

Exhibui pro potu ordinario serum lactis, ad calorem nocturnum temperandum emulsum nitrosum, ita post decem septimanas juvenis ille integre restitutus est.

Scirrhi, qui in suppurationem non abiverunt, superimposito emplastro cicutæ pulcherrime resoluti sunt.

Puella quædam recens nata, cum mater in puerperio ex gravi morbo succubuerit, traditur ex incuria lactanda nutrici lue venerea infectæ.

Suxit ab hac nutrice per quatuor menses, luemque ipsam attraxit, quæ ex ulceribus variis, & scabie venerea per totam corporis superficiem effusa se manifestavit.

Ubi primo, qui curam infantis hujus habebant malum hoc cognoverunt, & statim puellam a nutrice semoverunt; verum virus venereum massam humorum jam

inquinavit, nec optimis remediis error commissus erat delendus.

Postquam nonum ætatis annum attigit, tradita fuit in Nosocomium S. Marci ad fubeundam tunc temporis fuetam salivationis curam; hac finita discessit ex Nosocomio, verum brevi iterum rediit fœda illa scabies, quæ nullo remedio vel balneo fugari potuit.

Morbum hunc cutaneum ad decimum octavum ætatis annum habuit, & tunc meæ curæ subiciebatur.

Dedi extracti cicutæ ter de die pilulas quinque, decocto cicutæ & sapone veneto jussi eam sedulo lavari; omni decima quarta die interposui drachmam unam pulveris Radicis Jalappæ, & ita inter quatuor menses a morbo hoc cutaneo, pessima origine nato liberata fuit.

Fomentum cicutæ cujus toties mentionem feci paratur ex manipulis duobus herbæ cicutæ mensuræ aquæ infusis, leviter

viter coctis, & taliter externe applicatur. Ubi tamen ulcera magis putrida deliganda sunt, soleo addere spiritum falis quantum fatis.

Fomentum hoc omni mane paratur, ut semper recens habeatur in nostro No. focomio.

Ex enarratis casibus abunde apparet cicutam præstitisse talia, quæ maxima remedia non præstiterunt.


Summum hucusque remedium fuit Mercurius in morbis gravissimis, chronicis & curatu difficillimis maxime partium glandulosarum; imo ad solas glandularum obstructions referandas adhiberi sæpe debuit Mercurius.

Ubi tamen Mercurius in has partes non egit, vidi sæpenumero cicutam pulcherrimos effectus præstitisse; hinc in his casibus cicuta fuit remedium Mercurio longe præstantius.

Quot

Unable to display this page





A
Palt spec
Not through

